



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

808. An igitur talia beneficia ob non factam publicationem vacantia sint reservata Papæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

*Quaestio 806. An hac pena extendat se quocumque ad Resignantem, ita ut is annullata ob non factam à Resignatario publicationem amittat, seu abdicet jus omne, quod habet in tali beneficio, & (dum resignavit in favorem) abdicare non intendebat, nisi Resignatario acquireretur?*

**R**espondeo: Jus illud amissum à Resignatario in penam non factae publicationis non quidem permanere apud resignantem, nec illum posse in eo casu repetere beneficium resignatum, aut agere spolio, ut rectè Paris. cit. q. 7. n. 35. non tamen id in penam; cum is potuerit in hoc casu non deliquisse; sed quia is jam perfectè jus illud à se abdicavit. Siquidem ob non factam publicationem resolvitur solummodò jus quæsitum Resignatario, annullaturque resignatio respectu illius in hoc sensu, quòd nullum vi illius jus amplius in beneficio habere censetur, permanente eà in vigore respectu resignantis, in quantum is vi illius seipsum spoliavit omni jure suo. Vide hæc pluribus explicata supra, ubi qualiter resignatio nulla ob non factam publicationem inducat vacationem beneficii ex Lott. l. 3. q. 21. & Card. de Luc.

*Quaestio 807. An igitur ob non factam publicationem resignatione existente nulla, reservationes tamen pensionum, vel fructuum, aliorumve jurium remaneant valide?*

**R**espondeo affirmativè: Modò resignans, in cujus favorem facta, possessionem dimiserit. Ventrigl. To. 2. annot. q. 8. 2. n. 63. Paris. cit. q. 7. n. 57. dicente Constitut. Gregorianà: Reservationibus omnibus, nominis, administrationis, fructuum, etiam omnium, ac pensionum, & aliarum rerum quarumcumque, nec non facultatibus, indultis, & aliis concessionibus tam ipsi resignantibus, seu cedentibus, quam possessionem ab initio reipsa dimiserint, quam aliis in hujusmodi resignationibus; seu cessionibus à Sede Apostolica factis nihilominus validis, plenumque effectum sortituris. &c.

*Quaestio 808. An igitur valia beneficia ob non factam publicationem vacantia sint reservata Papæ?*

**R**espondeo: Beneficia illa intelliguntur à die resignationis factae vacare in Curia. Ventrigl. loc. cit. n. 62. & sic vacantia ob non factam publicationem sunt reservata Papæ; adeoque Inferior nemo in eorum collatione, seu provisione se intromittere debet. Paris. cit. q. 7. n. 37. juxta expressa verba Constitut. Gregor. ipsa beneficia, sive jura sic à principio vacantia à Sede Apostolica dimittantur impetrari valeant. Proceditque id ipsum, etiam dum beneficium resignatorum coram Ordinario ab eodem collatum Titio, dum is factam hanc sibi provisionem non publicavit, ita ut illud quoque reservatum sit Papæ, & Ordinarius denuo de illo disponere nequeat, cum prædicta verba Papæ sint omnino generalia. Paris. n. 40. & 41.

\* \* \* \*

*Quaestio 809. An, & qualiter beneficia vacantia ex dicta causa à quocumque impetrari possint?*

**1. R**espondeo primò: Quemlibet posse hac beneficia tanquam omnino vacantia impetrare. Paris. cit. q. 7. n. 62. & q. 10. n. 3. Castrop. loc. cit. n. 14. juxta dicta Constitut. Gregor.

**2. Respondeo secundò:** Impetrari tamen nullatenus, seu nullo modo etiam à Papa poterunt, nisi specialiter expresso hoc vacationis modo, nec non Resignantis & Resignatarii nominibus, ita ut concessio motu proprio facta nullatenus suffragetur, minus impetratio cum quibusvis derogationibus, ac clausulis generalibus vacationum. Ventrigl. l. 6. n. 63. Paris. cit. q. 7. n. 42. & 43. Papa id ipsum in Constitutione illa sua exprimente, & formam impetrationi horum beneficiorum omnino servandam præscribente hæc clarissimis verbis: *Illorum verò impetrationes, vel etiam motu proprio concessiones, quibuscumque derogationibus suffulta, nunquam sub clausulis generalibus, aut vacationum modis conditionalibus, vel implicitis comprehendantur, sed specialiter, & expresse ob non servatam præsentis Constitutionis formam, ac cum declaratione nominum, & cognominum resignantis, seu cedentis, & gratiam habentis dispositivè, & non conditionaliter fieri omnino debeant, &c.* Porro impetratio facta sub hac ipsa forma ante elapsum tempus datum ad publicandum est nulla, etiam si postea Resignatarius non publicet. Paris. n. 44. citans Sarn. & Rebuff. ac Rotam, hanc sententiam ut veram, & justam sæpe approbantem, & juxta eam judicantem; quia jus in re plenum (quale in tali beneficio habet Resignatarius ante publicationem) etiam possit resolvi, non est tamen alteri conferibile ante resolutionem, & beneficium vacans confertur, & non, quod potest vacare. Paris. n. 45. & 46.

*Quaestio 810. An illa igitur etiam beneficia impetrari nequeant, nisi impetrans concludenter probet, non esse factam publicationem?*

**1. R**espondeo affirmativè. Garc. p. 11. c. 3. n. 108. Ventrigl. loc. cit. n. 86. (qui etiam expressè ait, hanc probationem concludenter faciendam esse, nec sufficere præsumptiones ad illam. Et hinc, si impetrans doceret de publicatione facta extra tempus, non dicendum, per hoc fundasse intentionem suam; quia, cum hic sit actus irrevocabilis, potuit facta fuisse alia publicatio debito tempore) Lott. l. 3. q. 21. n. 13. & 14. Castrop. loc. cit. Paris. l. 11. q. 6. nu. 71. Item q. 10. nu. 3. ubi: *fundamentum impetrationis est non publicatio, & ideo pluries tentum à Rota, quòd dicenti de non publicatione incumbit onus probandi.* Item q. 14. nu. 5. Siquidem publicatio præsumitur facta in tempore. Paris. cit. q. 14. nu. 6. citans Gamb. de pot. Leg. de lat. l. 3. nu. 453. Et si enim aliàs facta non præsumatur, factum tamen præsumitur, quod jure faciendum erat. Paris. ibid. nu. 7. citans Mascard. de prob. concl. 734. & ob id factum præsumitur, cum est consuetum fieri. Paris. ibid. n. 8. citans Mascard. ubi antè. concl. 732. num. 5. Cravet. de antiq. temp. p. 4. num. 230. &c. Et hoc præcipue, ut actus sustineatur, eoque magis, cum id, quod consuetum est fieri, est accessorium ad principale (qualiter publicatio est

K k 4

confus-